

nonnullis eorum erroribus, esse docet. Ipsos *Saduceos* nomine *Karræorum* quoque insignitos fuisse, probat *Buxtorff. Lex. Talm.* p. 211, ac contra *Sealigerum* defendit *Pfeiff. Theol. Jud.* p. 195. Verum, quomodo in scrutandis Scripturis se gesserint *Saducei*, Præceptorum suorum sententiam in depravando vero illius sensu sequentes, ex ore summi Doctoris percipere licet, hisce eos verbis redarguentis: *Erratis nescientes Scripturas*; cum ille resurrectionem mortuorum, à *Saduceis* negatam, in ipso *Mose* contineri, per clarissimam consequentiam ostenderet, quam cæci illi homines nunquam viderant. Unde tamen nondum sequitur, quod *Saducei* non acceperint alios *Scripturæ S.* libros, nisi *Mosen*; sed solum, quod *Christus* ex eo libro, qui populo notissimus erat, nimirum lege, adversariorum stoliditatem redarguere voluerit. Conf. *B. Pfeiff. Theol. Jud.* p. 201. *Phariseorum* verò in tractanda *Scriptura S.* cæcitate multis deducere opus non erit, quia illi non verebantur transgredi mandatum *Dei per traditionem suam*, dicente iterum eodem, quod paulo ante audivimus, veritatis ore, *Matth. XV. 3.* Per hos enim *legi divinæ, proximum diligere* jubenti, glossa illa apposita fuit: *Odio habebis inimicum tuum Matth. V. 43.*, planè contraria genuino sensui jam memoratæ legis, quæ per proximum omnem intelligit hominem, etiam inimicum; quæ ratione in ipso *V. T. Salomo* expressis verbis osoribus suis benefacere jubet, *Prov. XXV. 21*, si esurit, inqviens, osor tuus, cibaeum pane, & si sitit, da ei bibendam aquam. Indeque *Christus* per maximam *C. V. Matthæi* partem *Legis* verba à corruptelis *Phariseorum* vindicat, contradicens, non *legi Mosaicæ* in se, cuius tamen interdum ipsissima verba citat, sed sensui, præcepto *Mosis* à *Phariseis* afficto. Vid. *Quenstedt. System. P. IV. c. 2. sect. 2. quest. 8. in obj. Dialys.* p. 50. Eodem modo *Jesus* *Phariseos* graviter increpat per totum *Cap. 23. Matthæi*, in Disputatione de *Messia* persona à semet cap. antecedente validissime convictos. Prodit adhuc hodiè *Parentum* indolem *Rabbanitarum* cohors, *Phariseorum* propago, probante in *Introductione* antecitata *B. Carpz.* Intolerabilis sanè est vox, sed horum *Judæorum*

rum